uadit · & alii [illegible] ueniet · & seruo meo fac hoc & facit ·
quo audito ihs miratus e(st) · & conuersus sequentibus se turbis
dixit · Amen dico uobis nec in isrł tantam fidem inueni ·
Et reuersi qui missi fuerant domu(m) · inuenerunt seruum qui
languerat sanum · Et factum e(st) deinceps · ibat in ciuitatē
quae uocatur naim · & ibant cum illo discipuli eius & turba
copiosa · Cum autem adpropinquaret portae ciuitatis ·
ecce defunctus efferebatur · filius unicus matris suae · &
haec uidua erat · & turba ciuitatis multa cum illa · quam
uidisset dns · misericordia motus super eam · dixit ei · noli flere ·
& accessit · & tetigit loculum · hi autem qui portabant
steterunt · & ait · adolescens tibi dico surge · & resedit
qui erat mortuus · & coepit loqui · & dedit illum matri suae ·
Accepit autem omnes timor · & magnificabant dm̄ dicentes ·
quia propheta magnus surrexit in nobis · & quia ds̄ uisi
tauit plebem suam · Et exiit hic sermo in uniuersam iudeā
de eo & omnem circa regionem · Et nuntiauerunt iohanni
discipuli de omnibus his · & conuocauit duos de discipulis
suis iohannes · & misit ad ihm dicens · tu es qui uenturus
es · an alium exspectamus · Cum autem uenissent ad eum
uiri dixerunt · iohannes baptista · misit nos ad te dicens ·
tu es qui uenturus es · an alium exspectamus · In ipsa autē
hora curauit multos a languoribus · & plagis · & spiritib;
malis · & caecis multis donauit uisum · & respondens
dixit illis · Euntes nuntiate iohanni · quae uidistis & au
distis · quia caeci uident · claudi ambulant · leprosi mun
dantur · surdi audiunt · mortui resurgunt · pauperes
euangelizantur · & beatus e(st) qui non fuerit scandalizatus
in me · & cum discessissent nuntii iohannis · coepit dicere
de iohanne ad turbas · quid existis in desertum uidere ·